

Nr. 20 fehlt!

11. Dez. 1954

Lo

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

18.
77

DE
PRAECAVENDIS
ET
PRVDENTER TOLLENDIS
MORBORVM RECIDIVIS

AVSPICIIS DIVINIS

CONSENTIENTE GRATIOSA FACVLTATE MEDICA

P R A E S I D E

VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

D O M I N O

D. ANDREA ELIA BVCHNERO,

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,

POTENTISSIMO BORVSSORVM REGI A CONSILIIS INTIMIS, MEDICINAE ET PHILO-
SOPHIAE NATVRALIS PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO, FACVLTAT. PHILO-
SOPH. H. T. DECANO, ACAD. IMPERIAL NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE

ET COMITE PALATINO CAESAREO,

PATRONO AC PROMOTORE SVO SANCTIORI CVLTV
DEVENERANDO, DEVOTE SVSPICIENDO

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN ARTE MEDICA PRIVILEGIIS ET IMMVNITATIBVS
RITE CONSEQVENDIS

IN ALMA FRIDERICIANA

AD D. MART. MDCCXLVIII. HORIS LOCOQVE CONSVETIS
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISIONI

SVBIECTA

AB AVCTORE ET RESPONDENTE

IO. CHRISTIANO GVILIELMO VERPOORTENNIO,

COBVRGO - FRANÇO.

HALAE MAGDEBVRGICAE
TYPIS KITTLERIANIS

DISSERTATIO IN ACADEMIA MEDICA

DE PRÆCAUENDIS

REVIDENTIBUS FOLLENDIS MORBORVM RECIDIVIS

PRÆFATIO

PIRO LEVITER ACUTISSIMO ET EXPERIMENTISSIMO

D. ANDREA FILIA BACHNERO

POTENTISSIMO PROMOTORE ET PATRONE AC PROMOTORE SVO SACCTORI CIVITATIS DEVENIENDO D. OTTE VISIONE

PRO GRADU DOCTORIS

SYMPLOSIS IN ANTE MEDICA REVOLUTIONE ET IMMUNITATE

AD D. MARTI

AD D. MARTI

AD D. MARTI

AD D. MARTI

IO. CHRISTIANO GUILIELMO VERPOORTENNO

HALLAE MAGDEBURGICAE





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
PRAECAVENDIS
ET
PRVDENTER TOLLENDIS
MORBORVM RECIDIVIS.



PROOEMIUM.

Pauca sunt, quae ad laudabilem
et omnibus numeris absolu-
tam morborum curationem in
Medico requiri solent, mo-
menta. Tribus vulgo expo-
nuntur voculis, si scilicet *tuto*,
celeriter et *jucunde* perfici eandem desideramus:
Pauca sunt, inquam, ast, certe tanti ponde-

ris momenta, ut totius omnino praxeos medicae cardinem ea vocare haud dubitemus. Non enim solum perfectam Medici eruditi et experti personam, verum etiam animi eiusdem probitatem et sinceritatem simul comprehendunt: et quamvis singula singularem sui considerationem mereantur, et omnino contraria sibi invicem nonnunquam adpareant, arcto tamen inter se iuncta sunt vinculo, ut, si quis id dissolvere conetur, et veri et probi Medici officium laedere mihi videatur. Annon enim in ipsa temporis brevitate summa curationis voluptas seu iucunditas posita est? annon adversum, vel ex idiosyncrasia, vel etiam ex perversa imaginatione, vel invito obtrusum aegro pharmacum plerumque morbum nihil levat, quin potius acerbiora reddat symptomata, et morbum longiorem? Celerem curationem maxime necessariam esse in acutis, et maximum, ad tuto peragendam curationem, in temporis puncto positum esse momentum, quis est qui dubitet? In chronicis quidem aliter se habere videtur: at vero festinationem voluptati iunctam in his-

ce

te plus, quam vulgo creditur, efficere, exinde liquere existimo, quod partim, concessa longiori mora, maiora capiant incrementa; partim etiam medicaminum diuturnior et in his necessarius usus perquam facile molestiam creet, qui ideo, qua fieri potest, iucundus reddi debet. Et haec quidem, si recte observentur, *tutam omnino curationem*, magnam partem reddere possunt, quae summus periti probique Medici scopus esse debet. Duplici vero potissimum ratione *tuta* redditur curatio (si ab iis discefferis, quae iam modo monuimus, et eam in se sigillatim spectes); prius fit, si talibus instituaturs medicamentis et operationibus, quae non ad aliquod temporis modo spatium confo-
piunt vim morbi, intacta genuina eiusdem sede et causa, tristiore postea lusura scenam, sed quae veram et proximam causam tam morbi, quam symptomatum, una aggrediuntur, infringunt atque evertunt: alterum perficitur respectu eventus et consequentis valetudinis, cum nimirum aegritudines ita tolluntur, ut nec metaschematismus, sive in mitioris, sive

in peioris indolis morbum vergat, neque etiam ipsius morbi recursus sit metuendus. Non autem haec solum Medico sunt animo agitanda, sed et quicumque summum terrestre bonum, sanitatem puta, vero suo aestimat pretio, eo adnitatur, ut integrum illud atque illibatum servet, nec corporis sui, nec rerum quarumcunque abusu perdat: ac si semel amissum iterum fuerit recuperatum, sedulo ac diligenter tueatur atque custodiat. Itaque operae pretium esse existimavi, cum mihi, pro obtinendis in medicina summis honoribus ac privilegiis, publicum aliquod laborum academicorum specimen edendum esset, ut tuendae semel vel iterum amissae sanitatis haud infimam partem, *RECIDIVAS scilicet morborum praeservandi et prudenter tollendi rationem*, prout per temporis angustiam et *Dissertatiunculae modum licet*, consideratione aliqua perpenderem; etenim

Nil pepulisse juvat morbos, recidiva subinde

Si redeant, nec sint ense recisa mala.

His igitur conatibus ut summum Numen clementissime benedicat, eosque in sui gloriam proximique salutem verti iubeat, est quod devotissimis precibus exoro. Sique Tibi, benevole Lector, lucubrationes haecce non plane displiceant, erit, quod gaudeam.

DIS-



§. I.



Cum de *recidivis morborum praecavendis & prudenter tollendis* agere nobis propositum sit, consultum esse duximus, tam de *recidivae* notione, quam generaliori eiusdem consideratione pauca praemittere. Instituti ratio non permittit, Auctorum, qui de hac re scripserunt, dissensum scrutari et conciliare. Satis nobis videmus officio fecisse, si nostram de *recidivae* ratione mentem exposuerimus, qua demum reliquum *tra-*
stationis argumentum nitatur.

§. II.

Quicumque igitur morbus humanum infestat corpus, vel per continentes seu solidas eiusdem partes, vel con-
ten-

8 DE PRAECAVENDIS ET PRVDENTER TOLLENDIS

tentas seu fluidas, vel utrasque simul, vim suam exferet, quarum quidem singularum constitutio praeternaturalis proximam morbi causam constituit. Prout igitur vel solidae, vel fluidae, vel utraeque corporis partes laesae sunt, proinde etiam diversus in corpus redundat effectus.

§. III.

Solidae partes generatim, speciatim vero fibrae vitia sua (quae omnia tantummodo ex cohaesionis gradu et modo praeternaturali pendere statuimus,) trahunt vel ex *nimia*, vel *imminuta*, vel plane *sublata cohaesione*. Prius dicitur *strictura*, alterum *relaxatio*, et ultimum *unitatis solutio*. Modus autem cohaesionis vitiatius magis in partes solidas compositas, seu totales cadit, quam in ipsas fibras.

§. IV.

Fluidorum praeternaturalem statum aut in *qualitate*, aut *quantitate illegitima* positum esse, *motum* vero vitiosum magis a solidorum actione in eadem pendere, notissimum est.

§. V.

Singulorum hominum, uti externam corporis faciem, sic quoque internam partium constitutionem cuius propriam, ab omni alius constitutione diversam esse

ac

ac deprehendi, non modo principio illo Leibnitiano, *indiscernibilium* dicto, sed et experientia confirmatur. Exinde patet, cum corpus nonnisi ex dispositione singulari partium constituentium morbo fiat obnoxium, (§. II.) morbum etiam ob eandem praesentem ad eundem pronom corporis constitutionem, eidem subiecto proprium evadere, hinc quoque non semel, sed iteratis vicibus, eundem turbare hominem posse.

§. VI.

Accedunt autem iis, quae in homine sunt, etiam infinita alia, constitutionem partium ita determinantia, ut morbus inde nasci et possit, et sub certis legibus ac conditionibus debeat. Omnia haecce sub *rerum* comprehenduntur nomine, *naturalium, non-naturalium, praeternaturalium* et *supranaturalium*, et constituunt causas morborum remotiores.

§. VII.

Fibrae tonus naturalis tam a gravitate specifica partium constituentium earumque inter se contactu quam ab fluidi his interpositi iusta quantitate ac proportionata actione dependet. Augetur itaque tonus fibrae, si partes specificè graviore maiori quantitate adponuntur, vel leviores auferuntur, vel humidae interpositae spatiis suis eliminantur. Quaecunque igitur horum trium phaeno-

IO DE PRAECAVENDIS ET PRVDENTER TOLLENDIS

nomenorum sit causa, ea certe non est momentanea, sed insigne ad tales mutationes requiritur tempus. Fac igitur stringi fibram; et haec ita constituta permanebit in hoc statu, usque dum leviores, seu humidae partes, iterum augeantur, vel specificè graviores minorem numerum punctorum contactus acquirant. Non autem statim dispositio illa ad auctiorem cohaesionem, quarundam leviorum particularum interventu tantum, aut aliquo contactus imminutione, auferri potest: Maius enim temporis spatium requiritur, ut cohaerentes partes per actionem intercurrentis fluidi dimoveantur, praesertim si huius subtilitas non sit exquisita, quoniam graviorum particularum cohaesio maiorem praebet resistantiam actione fluidi dissolventis.

§. VIII.

Quando autem stricta fibra relaxatur ad naturalem tonum, etiam tam diu in hoc statu manebit, continuantibus proximis relaxationis causis. Accedente vero causa quadam remotiori, fibram ad maiorem cohaesionem determinante, in pristinam praeternaturalem conditionem recidet fibra, i. e. iterum stricta reddetur.

§. IX.

Naturalis fibrae cohaesio imminuta relaxationem praeternaturalem, seu *atoniam*, efficit. Haec pariter
suc-

successu tantum temporis et generatur et tollitur. Cum enim humidæ partes, quatenus ad solidorum constitutionem praeternaturalem faciunt, vel quantitate, vel actione in solida peccent, vel etiam solidorum imminutus contactus mutuus in causa sit (§. VII.); neque humidarum et specificè leviorum partium quantitas excedens uno impetu removeri, neque appositio graviorum perfici, nec denique contactus arctior reddi tam cito poterit; siquidem ad expulsionem humidi actio fibrae sufficiens requiritur, quæ tamen (ex hypothesi) deest; ergo manebit laxa fibra, usque dum una alterave strictionis causa augeatur. Sin autem a sola nimia distensione, seu sublato in plurimis punctis contactu, fibrae atonia oriatur, tum multo tardius succedet eiusdem antiqui roboris restitio.

§. X.

Ponatur autem, fibrae tonum reparatum et restitutum esse; et iste perdurabit, usque dum causa quaedam relaxationis remotior tonum iterum frangat, pristinamque debilitatem revocet.

§. XI.

Fluidarum corporis nostri partium quantitas excedens *plethora* audit, oriturque ab inaequali ingestorum et egestorum proportione, manente tamen fluidarum partium inter se iusta ratione et temperie. Vtut vero

12 DE PRAECAVENDIS ET PRVDENTER TOLLENDIS

plethorae generatio plerumque tempus aliquod longius requirat, remotio tamen eiusdem perbreve illud esse patitur. Cum enim sanguis sit fons omnium et singulorum reliquorum humorum, ac in huius ipsius copia vera consistat plethora, patet, quod sanguinis subtractio sola sufficiat ad imminuendam eius excedentem quantitatem, et proinde reliquorum humorum copiam.

§. XII.

Cum sanguis et reliqui humores ab eodem iam separati, in dies novis accessionibus augeantur, non aliter potest fieri, quam ut vasa tanto magis expandantur, quanto maior in iis quantitas sanguinis vel humorum haeret: Distensio autem vasorum diu subsistens fibrarum tonum imminuit, actionemque vasorum in fluida debilitat. Nunc tamen ex superioribus (§. IX.) constat, tarde admodum redire fibrarum robur semel tentatum; ergo et excretiones ab eodem dependentes tardius succedent.

§. XIII.

Licet autem semel sublata sit nimia sanguinis copia et sit soluta plethora, non tamen diu manebit corpus in hoc statu, sed tam ob laxiores fibras, vasorum imprimis sanguiferorum, et reliquas plethorae causas remotiores semper continuantes, statim nova incrementa humores capient et plethora revertetur.

§. XIV.

§. XIV.

Qualitas fluidorum nostri corporis fit praeternaturalis, si partes quaedam sanguinem constituentes plus, quam reliquae, accumulatur. Veteres et nonnulli recentiores haud incelebres auctores mixtionem legitimam sanguinis ex diversis suis partibus constitutivis non inepte *temperiam*, illegitimam vero, seu praeternaturalem, *intemperiam* vocarunt. Mirari autem satis non possum, cur quibusdam placuerit magnis Viris nostri aevi, qui sanguinis partium exactam proportionem tam ex suis, quam etiam alienis experimentis, didicerunt, stabiliverunt, nihilo minus tamen quatuor illas qualitates, humidam, siccam, frigidam et calidam, ex Veterum scholis denuo suscitare; cum quidem, uti mihi videtur, ex re ipsa meliores et praxi magis accommodatae interpretationes proferri possent. Sed iterum ad rem.

§. XV.

Secretoria organa peculiare in corpore iam separatas res ex corpore proscribunt: nonnunquam etiam fit, ut abundantes vitiosi humores solius corporis, seu, ut alii loqui amant, naturae viribus etiam abundanter, i. e. proportionate, e corpore eliminentur. Ex legibus enim fe- et excretionis tale quid facile concipi potest: Confirmat et hoc larga illa per nares et pulmones mucii excre-

14 DE PRÆCAVENDIS ET PRVDENTER TOLLENDIS

tio in catarrhis, diarrhoea frequenter in eundem finem concurrente. Reliquarum excretionum eadem est ratio.

§. XVI.

Cum autem non in omnibus hominibus, neque omni tempore spontaneae tales superfluum humorum excretionem contingant, neque etiam vitiosi humores ad excretionem semper apti deprehendantur; arte succurrendum est naturalibus corporis functionibus, humoresque, ad excretionem inepti, apti reddendi, tumque e corpore eliminandi sunt.

§. XVII.

Humorum in corpore elaboratio legitima, hinc et bona eorundem constitutio, semper ab aliorum humorum, iamdum in corpore existentium, bona indole dependet, Licet igitur vitiatum aliquis humor e corpore sit exterminatus; non tamen nova eiusdem productio cessabit, nisi reliqui humores debitam simul adquirant bonitatem. Facile inde liquet, qui fiat, ut morbi fluidorum quoque reverti possint.

§. XVIII.

Quicumque igitur morbus hominem ab eodem liberatum denuo invadit, *recidiva* dicitur.

§. XIX.

§. XIX.

Cum dispositio partium corporis vel naturalis, vel praeternaturalis, tamdiu persistat, donec caussae quaedam easdem determinantes in alteram partem corpus trahant, idque mox brevi, mox longiori eveniat tempore; ex recidivae notione etiam tempus exclusimus, quod non videamus, cur non idem morbus, eundem hominem liberatum denuo invadens, etiamsi post longum tempus contingat, sub *recidivae* nomine comprehendendus sit. Id enim plurimis Auctoribus placuisse repertum, quod in recidivae definitione ad breve temporis spatium, inter morbum primum & recidivam, respexerint, quamvis deinde fateri cogantur, & post annos aliquot recidivam posse incidere.

§. XX.

Superfedemus etiam divisionibus illis ex antiquorum definitionibus ortis, scilicet, in *propriam* & *impropriam*, *perfectam* et *imperfectam*, etc. lectorem potius ad ipsos Auctores ablegando, quoniam horum recensione nimis a scopo nostro aberraremus.

§. XXI.

Supponit itaque recidiva, morbum iam antea non solum praesentem, sed et curatum fuisse.

§. XXII.

§. XXII.

Pracavendi igitur recidivas maximum momentum in primi morbi curatione contineri, nemo facile erit qui dubitet: Haec autem licet sit primarium praeservationis fundamentum; a nobis tamen non describetur, nisi generaliter et quatenus striete praeservatorie instituenda est: non enim volumen practicum, sed Dissertatiuncula conscribenda est.

§. XXIII.

Ordinem, quem initio tractationis adhibuimus, servaturi, in medium revocamus iterum fibras et cum his solidas corporis partes, quibus si post stricturam naturalis tonus restitutus est, recidiva praecaveri potest, si attendamus quatenam sublatae stricturae causa fuerit. Si igitur defectus humidi accusatur, tunc praeservatio in continua sufficientis humidi suppeditatione versabitur. Si partium graviorum nimia aggestio stricturam generaverit, tunc earum proventus ulterior impediendus erit, et harum loco leviores surrogandae sunt. Quis igitur non videt, hasce indicationes rerum non-naturalium legitimo usu esse adimplendas? et maxime huc spectare videtur ingestorum qualitas et quantitas, a perito Medico facile determinandae. Aëris quidem in hoc non infima est consideratio, quippe frigidus iste per se fibrarum auget cohaesionem, calidus humidum et reliquas leviores

res partes nimis dissipat et absumit, eligendus igitur temperatus. Animi commotiones nimium vehementes et subitaneae, ac potissimum adversae, hunc in censum merito sunt referendae; vitanda igitur adfectuum vehementia. Conferunt et praeservationi sua symbola somnus et quies, quae utraque relaxationi fibrarum egregie velificantur. Huc quoque pertinent curationes vernales et auctumnales, vel aquis mineralibus, vel aliis diffusioribus medicamentis institutae.

§. XXIV.

Ne fibra, e statu laxiori in naturalem restituta, adficiatur recidiva, humidarum et leviorum partium copia et novi proventus infringi, graviorum quantitas aliqua adiici sicque tonus conservari, debent: Hunc in finem aër frigidiusculus, paullo diutius corpori admissus, sub huius motu temperato et successive aucto, convenit. Alimenta valentiora, acidula spirituosaque, iusto modo ac tempore usurpata, eximie conducunt. Animi pathemata mentem deprimentia, moeror ac tristitia, qua fieri potest, vitanda; laetari autem quam maxime erit utile. Praestant et hoc in statu sua officia curationes, quas praecedente laudavimus paragrapho, vernales et auctumnales, itemque aquae medicatae, vel naturales, vel artificiales, iunctis simul et subiunctis roborantibus adpropriatis. Absonum quidem videri posset, ea, quae in stricta fibra

proficua esse proposuimus, in laxa quoque utilia deprehendi. Sed monendus hic est benevolus lector, fontes medicatos non modo valde a se invicem esse diversos ratione partium salinarum et metallicarum, quas secum vehunt, tum naturae, tum proportionis, sed et eundem mineralem fontem vi gaudere duplici, quatenus scilicet aquea parte fibras emollit, sale vero, sulphure et metallo humores corporis lentos, inertes, incidit, resolvit, abstergit, sicque partes proprie roborantes ad ipsas fibras defert, aperitque aliis tonicis remediis viam antea reclusam.

§. XXV.

Morbus ex humorum vicio ortus si curatus sit, a recidiva arceri potest, si respicimus, qua ratione ipsi humores peccaverint, et hac cognita, praeservationem determinamus.

§. XXVI.

Abundans corporis nostri humorum copia, seu plethora, si curata semel fuerit, arceri alia nulla potest re, nisi quantitate ingestorum imminuta egestorumque huic aequali servata, seu inedia et labore. Cum autem plurimorum hominum et vitae genus et gulae indulgentia salutare huic praecepto obstet; plus in ipsa curatione, quae
fit

fit sanguinis missione, quam praeservatione, positum esse
efficique videmus.

§. XXVII.

Ex qualitate vitiosa humorum generatus morbus vel
sponte, vel Medici ope solutus, praecavendus est ne re-
cidivet, si attendamus, vitiatum ne per se fuerit humor,
an solummodo abundaverit, vel defecerit. Si fuit per
se vitiatum, dispiciendum erit, quam qualitate prae-
ternaturali fuerit corruptus, et cura gerenda est, ne ta-
le quid corpori denuo ingeratur, vel adplicetur, ex
quo vitium prius contractum. Et haec quidem maxi-
me spectant ea, quae peregrina corpori humano vocan-
tur. Sin autem vitiatum humor altero respectu dicatur,
non aliter talis esse potest, quam ex proportione illegiti-
ma humorum in corpore naturaliter existentium.

§. XXVIII.

Cum itaque partium sanguinem et humores con-
stituentium natura et proportio cognita sit, ex certis etiam
signis cuiuslibet abundantia vel defectus disci possit; uni-
versim tantum monebimus, summam praeservationis in
eo consistere, ut proportio humorum legitima conser-
vetur. Fieri hoc potest, si aer purus et temperatus eligitur,
alimenta salubria decenti modulo assumuntur, ne crudi-

tates relinquunt, et si quas praesentes suspiceris, brevissima eliminantur via, sive inferius, sive superius id fiat. Neque tamen prohibemus etiam valentiora assumere, si modo non fiat initio recuperatae sanitatis, et parva praebeantur manu, usque dum successu temporis et frequentiori motu corporis satis sit roboratum. In potus electione et regimine etiam non exigua praeservandae dyserae pars posita est, siquidem tenuior, sufficiens, in omnifere humorum intemperie voto respondebit, eo quidem magis, quo parcius motus corporis a vitae genere permittitur. Animi commotiones mediate tantum in humores effectus suos exserunt, per solidas corporis partes, aut satis interdum tristes: itaque et fluidorum praeternaturalis status praecaveri adfectuum moderatione potest.

§. XXIX.

Omissimus supra considerationem illius status praeternaturalis fibrarum, qui *unitatis solutio* audit; sed consulto id fecimus, et quidem hanc ob rationem, quia vix alia ex causa, quam vi externa, unitatis solutio contingit (paucis tantum exceptis casibus), quae nec in Medici, nec in ipsius curati hominis potestate vitandi posita est. Vulnere enim, contusiones et fracturae, ex violentia peregrini cuiusdam obiecti orta, aliter recidivam non subeunt, nisi ex simili externa laesione iterum accedente. Sola obstant ulcera, non raro redeuntia. Sed et
hæc

haec nec sub solidorum morbis, nec sub fluidorum, sigillatim spectatis, locum inveniunt, cum sint illa morbi compositi, ex vitiis solidorum et fluidorum simul nati. Sic igitur de horum praeservatione aliud dici nihil potest, quam quod de fibrae laxae roboratione et humorum temperie conservanda iam in superioribus adduximus, et tantum ea, quae sigillatim ibi pertractavimus, hic coniunctim observanda sunt.

§. XXX.

Pertinet et huc luxatio, quae, quatenus a sola vi externa incidit, sub laxatae per tensionem fibrae tractatione iam comprehensa est, et praeservationem aliam non admittit, quam conservationem roboris fibrarum: quatenus autem a collectione humoris in articulo, et ab hac orta fibrarum relaxatione pendet luxatio, praeservationem requirit tam ratione fibrarum debiliu, quam ratione humoris abundantis et vitiosi, et cum talis luxatio etiam fuerit morbus compositus ex atonia et intemperie, duplex etiam, et duas has allatas causas concernens, esse debet praeservatio simul adhibita: eo tamen discrimine, quod auctior motus, alias in laxa fibra commendatus, locum hic non inveniat, certe in parte adfecta. Sic utique in quamplurimis morborum generibus se habeat praeservatio necesse est, ut semper respiciatur simul ad omnia ea, quae una morbum efficiunt.

§. XXXI.

Peculiaris adhuc occurrit praeservatio a recidiva morborum, ex fibrarum tono et aucto et imminuto in eodem subiecto, vel etiam in eadem corporis parte, nato- rum. Inter hos referendi sunt adfectus spasmodico-flatu- lenti, v. g. colica, ileus, passio hysterica et hypochon- driaca, pluresque alii. Accedunt quidem huius gene- ris morbis vitiosi humores, et sic duplici ratione com- ponuntur. Iam vero solam considerabimus fibrarum diversam ac contrariam indolem, quomodo talis status sit praecavendus. Primariam autem in se trahunt atten- tionem, utrius status urgentia symptomata. Cum igitur constet, strictum fibrarum statum semper urgentiora praebere symptomata, hinc et in curatione et in praeserva- tione huius maxima est gerenda cura. Tacemus, quod ipsa strictura plerumque reliquarum fibrarum debilita- tem progneret, uti ex adductis morborum exemplis liquet. Vitabit ergo talismodi restitutus aeger refrigeria, inprimis post sudores, animi corporisque vehementes motus, cibos potusque crassos, feculentos, acidos, nimis spirituosos, instantes, vigiliis et excernendorum reten- tiones. Sin autem magis urgeat fibrarum debilitas, quod nonnunquam in lipothymiis, cum motibus convulsivis stipatis, evenire solet, tunc roboris restitutio et aequalis fibrarum tonus in praeservatione attendi debet. Hunc scopum praeservatorium sic attingemus, si quidem aërem

aërem frigidiorẽ non plane reformidemus, non tamen diutius et post motum corporis in eo, inprimis nimis frigido, subsistamus; potum quadantenus spirituosum, sed tamen etiam dilutiorem, seligamus; cibos nutrientes quidem, non tamen crassos et dyspeptos, sed acidulatos; gelatinosos, concoctui faciles, adsumamus, animi motus non plane deprimamus, a repentinis tamen sedulo nobis caveamus, etc. et ut paucis exprimam: Diaeta debet esse mixta ex roborante et demulcente; maxime tamen ad animi pathemata fortiora respiciendum esse existimamus.

§. XXXII.

Humorum compositi morbi curati, compositam etiam præservationem postulant. Aqua igitur, cum respectu totius massæ sanguineæ sit in ratione plus quam decupla ad reliquas partes sanguinem constituentes, in huius iusta quantitate conservanda primum versabitur præservationis momentum; succedit huic sulphur sanguini mixtum, quod partim sub olei et sebi forma elicitur, partim arctius cum terra iunctum in carbone residuo latet. Sal et terra dein minimam constituunt partem. Ponatur abundasse sal, sulphur et terram, et hinc viscidam esse redditam massam sanguineam; præservari poterit corpus a tali visciditate reversura potu aquoso copioso, maxime autem calido, extra cibationis tempus
 ufur.

24 DE PRAECAVENDIS ET PRVDENTER TOLLENDIS

usurpato, parcis mollibusque epulis, aëre et motu temperato, animi tranquillitate, alvina evacuatione, ut et sanguinis depletione legitima. Quid dicam de aquis medicatis? quid istae non efficient? Certe, si per aliquot annos reiterantur, et tunc diæta praescripta accurate observatur, summam praeservationis laudem omnino merentur.

§. XXXIII.

Sic plures enumerandi essent modi compositionum morborum in fluidis, et horum indoli praeservationes ad commodari possent, nisi nobis properandum, et ad ipsas *recidivas* prudenter *tollendas* progrediendum esset.

§. XXXIV.

Curaturo morbi *recidivam*, cognita primaria morbi primi caussa ac sede, maxime dispiciendum erit quomodo superatus primus morbus decurrerit? quibus & an sufficientibus depulsus plane fuerit remediis? Causarum occasionalium, sive remotiorum, sedulam observationem adhibeat atque inquisitionem, quaenam harum vel solitaria, vel cum alia quadam coniunctim, maxime in culpa sit, ut morbus *recidivet*? quantum temporis interiectum sit inter primum morbum et *recidivam*? quo gradu adfligat? an mitior, an atrocior sit *recidiva* morbo,
an

an eodem passu incedat? an alius quidam morbus inter-
currerit nec ne? probe attendat.

§. XXXV.

Nec tamen harum rerum multitudo Medicum tur-
bare ullo modo potest, dummodo proximam recidivae
et morbi primi eamque genuinam perspiciat causam, et
huic maxime adcommodet curationem. Cum itaque
per supra dicta constet (§. VI. VIII. X. XIII.), per res
quasdam supervenientes, ceu causas remotiores, partium
nostri corporis constitutionem ad morbum pronam tandem
perfici, ideo et haec praecipue attentionem postulat.

§. XXXVI.

Strictura fibrae si recurrit, tollitur si corpori inge-
rantur humores leviores, quarum partes non tantum sese
insinuant in fibrae poros, et sic ejus cohaesionem mino-
rem reddunt, sed et partes graviores quasdam in se reci-
piunt, motuque humoribus communi seu circulatorio
secum abripiunt, atque dein ex corpore per aptas vias edu-
cunt. Cum vero, si paullo a strictioris fibrae causis re-
cedimus, utique vitiosos humores, graviores partes se-
cum vehentes et fibris adjicientes, accusandos inven-
imus; huic quoque causae consulitur praedicta methodo,
praesertim si iungimus salia neutra eum sulphureis siccis
levioribusque medicamentis. Prosequane hic ducamus
opiata, aliaque efficaciora anodyna, de quorum sulphu-
re subtilissimo certi sumus, quod fibrarum stricturas po-
ten-

tentissime solvat et diutissime solutas seruet? Certe si modo elapsi seculi celeberrimos pervolvat Auctores, ubique opium invenies usurpandum, neque plane abs re esse putaverim, ni tam periculosum sit, et per haec anodyna ab uno extremo ad alterum, scilicet ex strictura in atoniam incidamus, vel plane non, vel difficillime sanabilem. Sic ergo in deploratis rebus, nullis aliis sufficientibus remediis, vel etiam initio morborum, sub ferocia dolorum, et viribus adhuc aegri integris, non omnino spernenda censemus. Si pulsus gravioribus symptomatibus demulcens methodus ad tempus adhuc continuatur, et ea, quae supra de praeservatione monuimus, simul in usum vertimus, omnino tuta emerget curatio.

§. XXXVII.

Laxata, si recidivam inducat, *fibra*, ea quae supra (§. XXXV.) de caussarum et reliquarum circumstantiarum inquisitione notavimus, etiam hic non sunt negligenda. Pro curatione autem feliciter instituenda consultum esse ducimus, si caussa in nimia humidi levioris copia lateat, ut istud a fibris separemus atque ex corpore educamus, pro diversa natura ac indole humoris aptam eligendo viam; cui dein succedat aliud quoddam gravioris generis medicamen, quod fibris nuptum, tonum restituat, atque continuato et prudenti usu conservet. Priori ut satisfiat scopo, humidi nempe imminutioni, partim et securissime illum exsequemur alvi subductione per clysteres leniter stimulantés, rhabarbarina, gummosa balsami.

famica, iunctis, si opus fuerit, salinis, digestivis, incidentibus; partim id praestabimus sudoris vel urinae promotione, partim etiam ipsius sanguinis evacuatione, decenti tempore et quantitate administrata. Alterum ut attingamus curationis finem, scilicet roboris reparationem per apposita graviora, suademus tamquam securissima, elixiria sic dicta visceralia, ex amaris extractis cum menstruo lixivioso et aquis destillatis, vel etiam ex roborantibus corticibus et herbis cum spirituoso et vinoso menstruo paranda, et si res postulet, cum aliis roborantibus usitatoribus remiscenda, largiori et diuturniori adhibenda usu. Deinde etiam ad consummandam curationem, et quasi in hysteregia, laudes iam dudum meruerunt fontes medicati, subtili principio ferreo praediti, cum quibus simul in usum vocari possunt modo laudata elixiria, et ipsa martialia bene praeparata, tam in tincturis, quam etiam in substantia, interpositis debito tempore alvum ducentibus. Terrentur quidem nonnulli, a Medicis forsitan iam timidi redditi, signo δ tis in formulis conspecto; sed quibus inducti rationibus? nonne specificam accusant gravitatem, omnibus nostri corporis partibus longe maiorem, et nostrum hunc in finem maxime necessariam? quorsum igitur aberrant eiusmodi homines? obiciunt effectus contrarios et tristes, non autem considerant, intempestive adhibitum fuisse nobile alias medicamentum. Quae praeservaturi diximus, ea etiam hoc loco in memoriam sunt vocanda.

§. XXXVIII.

Vnitatis solutio, quatenus recidiva redire potest, aliam curationem non admittit, quam ipse primus morbus: In ulceribus autem iterum sponte apertis eo respiciendum est, ut nullae in loco adfecto purulentae vel alius generis vitiosae reliquiae, per praematuram consolidationem, reclusae maneant; et dein ea obseruentur, quae sub praeservatione abunde proposuimus. Valet et hoc de luxationibus.

§. XXXIX.

Humorum vitio, et quidem ex quantitate eorum maiori, si corpori contingat recidiva, curatio in horum depletionem consistit, quod iam de plethorae praeservatione monuimus. Quare autem eiusdem abundantiae reversionem impedire sit difficillimum, ibidem docuimus. Licet vero sanguinis subtractio plethorae verae medeatur; spuriae tamen, seu cacoehymicae, sola sanguinis immunitio non sufficit, sed in hac humorum proportionis inter se denuo habenda est ratio. Sic ergo, cum plerumque sufficiens fluiditas sanguini desit, ista concilianda erit diluitori paullo copiosiori potu eoque calido utiliter capto; cuius efficacia aliis adpropriatis resolventibus ac incidentibus adiuvari, et subiunctis aut interpositis mitioribus evacuantibus, aut talibus, quae fibras roborant, fulciri potest. Si aqua plus iusto in sanguine emineat, tunc potissimum corporis frequens exercitatio superfluam molem ejiciet. Si alius quis in sanguine humor, sive salinus, sive sulphureus

feus abundet, hic etiam adpropriatis resolventibus, temperantibus, diluentibus, absorbentibus corrigi et ad secretionem aptus reddi potest, ut tandem commode ex corpore pellatur. Perfici deinde curatio debet nova in generatione laudabilium succorum per talia medicamenta, quae primis viis robur atque mundiciem conciliant, per alimenta, quae bene concoqui et in bonum succum verti possunt, quae facultate aliqua medicamentosa polent, ut sunt radices et herbae teneriores non infantiles; et quod plurimum valet, per abstinentiam a ciborum et omnium ingestorum nimia repletionem, qua dein cruditates, pravorum succorum foecundae matres sponte exulare debent. Ea quoque, quae de humorum dyscrasia praecavenda monuimus, hic subiungi debent.

§. XL.

Haud abs re fore existimamus, ut ea, quae iam generaliter proposuimus, exemplis quibusdam illustremus. Sumamus igitur morbum aliquem, ex eorum genere, qui non solum frequentissime occurrunt, sed etiam facillime recidivant, scilicet ex febribus intermittentibus aliquam, v. g. tertianam, ne recidivet, praepediendam. Multum certe hic interest, ab initio quis recta curatus sit, an perperam. Quodsi enim intempestive suppressa fuerit febris, potius revocanda illa est, ut morbosa materia eius operentis exturbetur. Sin autem nullae reliquiae superstites sese ulterius prodant, tunc omnino vera locum habet praeservatio; et quidem hoc modo illa est instituen-

ulso



30 DE PRAECAVENDIS ET PRVDENTER TOLLENDIS

da, ut ante omnia eius diei sollicitè reminiscamur, quae febris affligere consuevit, et hac ipsa frigus, crudelitatem, nimium solis aestum, motumque corporis vehementiorem vitemus. Nec tamen haec ita intelligenda sunt, ac si liceret diebus interpositis tale quid admittere, quod die febris propria vetitum esset; sed id tantum indigitamus, quod magis attente ea dies observari debeat, quia in ipsam diem febris consuetam ordinariè recidiva incidere solet. Dignum est singulari aliqua consideratione tempus annuum, quo febres vel recidivant perfecte, vel tantum miffitant. Fortassis ab anima sapienter instituuntur tales motus, quippe quae memor pristini annui morbi corpus futurum turbantis, eo tempore recurrente omnem vim intendit ad avertendum aliquod malum, quod tamen non praesto est? Sic quidem multis placere celeberrimis viris, novimus, et satis ingeniose dicta haec esse confitemur: Sed si nostram de annuo hoc recidivarum tempore exponere licet mentem, omnino causas illas morborum remotiores, corporis constitutionem ad morbum determinantes, in culpa esse affirmamus. Nonne enim idem aëris status, eadem ciborum genera, eadem obeunda negotia quotannis homini redeunt? nonne in his eodem peccatur modo, ac anno praecedente factum est? certe inquirenti sedulo in haec, tantum non semper aliquid occurreret, quod iure possit accusari ceu causa novarum turbarum. Sed quorsum haec disputo? cura nobis sit potius cautos nos gerere in evitandis remotioribus morborum, et in hoc casu

casu februm caussis. In ipsius autem recidivae curatione eo tendere debet Medici opera, ut relicta vel noviter inducta febrilis materia temperetur, resolvatur ac educatur, spasmi leniantur, et aequalis corpori tonus restituatur. Fieri hoc debet, uti ordinario mos est in febre tertiana, initium faciendo medicamentis digestivis, incidentibus, temperantibusque, qualia sunt salia sic dicta neutra, conchae citratae, radices acriores, ut ari, galangae minoris, pimpinellae albae, vincetoxici, etc. antimonium diaphoreticum, succinum; his igitur &, si opus est, pilulis balsamicis, per alvum pariter ac cutim sufficienter evacuata materia morbosa, tonus circumspecte restituitur vel cortice Peruviano, vel securus cortice cascarillae, tam in substantia cum aliis pulverulentis temperantibus, quam in essentia aliis roborantibus nupta. Denique ea sunt observanda, quae in medio huius §. de praeservatione exposuimus.

§. XLI.

Alterum exemplum praebet acutus aliquis morbus inflammatorius, etiam haud raro recurrens. Desideratur praecaveri pleuritis. Cum igitur maxime in hac & copia & spissitudo sanguinis observantur, opus omnino est, praesentibus plethorae notis, venam mature secare, et, si sanguinis missionibus quis adsueta factus sit, has nunquam negligere vel diutius differre. Sanguinis dein massa paululum resolvenda attenuandaque erit, quod commode fieri potest pulveribus sic dictis bezoardicis ex C. C. philos. ppt. succin. antimon. diaph. cinnab. lap. 69. conchis citr. aliquoties usurpatis, et potu dilutiori temperante, ut decocto avenae, hordei cum scorzon. & ras. C. C. per aliquod tempus usurpato. Aër eligatur temperatior, nec frigidus nimis nec aestuosus, cibi tenues mollesque, motus corporis moderatus; traspiratio bene attendatur insensibilis, ut succedat; catarrhus si quis pectus occupet, facili expectoratione levandus est. Curam pleuritidis, si recidivet, eodem tenabimus modo, ac si prima vice inciderit, scilicet venae apertione in brachio, datis dein liberalioribus praebitis pulverum temperantium ac bezoardicorum, subiuncto sufficienti calido potu, qui non solum sanguinem attenuet, sed etiam simul temperet eiusdem fervorem. Insignis est in hoc morbo aceti destillati,
vel

32 DE PRAECAVEND. ET PRVDENTER TOLLEND. RECID.

vel etiam succi citri usus paullo largior, si vel in potiunculis, vel unacum pulveribus defervescentes, adfumuntur. His si dolores graviores pulsi sint, continuabitur adhuc eadem methodus per aliquot dies, ita tamen, ut simul tum sudoris tum expectorationis adiuvandae habeatur ratio: parco interea sustinebitur aeger si adpetat cibo, eoque tenuissimo & fere tantum iurulento. Denique simul necesse est, ut absoluta curatione ea diligenter observentur, quae praeservationis causa praescriptissimus.

§. XLII.

Unum adhuc addere exemplum placet morbi cuiusdam chronici pertinacioris, scilicet adfectus spastico-flatulentii. In huius certe praeservatione nihil superat aquarum mineralium virtutes, si hae bene praeparato corpori et sub legibus legitimi usus adhibeantur, velverno, vel aetumnali tempore, et per aliquot annos tales repetamus curas, quibus durantibus non solum, sed et quantum per totam licet vitam, corpus exercendum est frequentiori motu, interponendo nonnunquam roborantium, carminativorum, vel elixiriorum visceralium vel etiam martialium ipsorum usum; neque negligi debet animi tranquillitas atque exhilaratio. Cum autem reperat malum, curabitur non secus, ac si primum inciderit; diversus tamen gradus merito attendendus, et pro hoc curatio determinanda erit; et quidem spasmodum et flatuum et impurorum humorum in visceribus haerentium, primaria habenda est ratio, ut sopiantur et removeantur, deinde aequale robur fibrarum, hincque promptior humorum per viscera progressus procuretur. Si copia simul abundant humores, per venam subtrahendi et imminuendi sunt, atque in horum locum laudabiles succi surrogandi, cui scopo tam eximie velificantur elixiria ex amaris extractis, quae robur ventriculi augendo, concoctionis negotium mirum in modum emendant; sicque universo corpori bene elaboratos suppeditant humores, quorum aequalis in corpore distributio et circuitus apto potu sufficiente promovendus est. Aquae quoque minerales martiales pro curatione et quasi coronidis loco, non tantummodo praeservationi proficuae, adhibendae sunt.

T A N T V M.


01 A 6597

ULB Halle

3

003 092 429





18.
17

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE
PRAECAVENDIS

ET

PRVDENTER TOLLENDIS
MORBORVM RECIDIVIS

AVSPICIIS DIVINIS

CONSENTIENTE GRATIOSA FACVLTA TE MEDICA

PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

DOMINO

D. ANDREA ELIA BVCHNERO,

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,

EXCELLENTISSIMO BORVSSORVM REGI A CONSILIIIS INTIMIS, MEDICINAE ET PHILO-
SOPHIAE NATVRALIS PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO, FACVLTAT. PHILO-
SOPH. H. T. DECANO, ACAD. IMPERIAL NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE

ET COMITE PALATINO CAESAREO,

PATRONO AC PROMOTORE SVO SANCTIORI CVLTV
DEVENERANDO, DEVOTE SVSPICIENDO

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN ARTE MEDICA PRIVILEGIIS ET IMMVNITATIBVS
RITE CONSEQVENDIS

IN ALMA FRIDERICIANA

AD D. MART. MDCCXLVIII. HORIS LOCOQVE CONSVETIS
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISIONI

SVBIECTA

AB AVCTORE ET RESPONDENTE

IO. CHRISTIANO GVILIELMO VERPOORTENNIO,

COBVRGO - FRANÇO.

HALAE MAGDEBVRGICAE
TYPIS KITTLERIANIS



Ruß,
itt:
n!
ste seines
olte bey
und sich
iedric
. Opp
n unt
och in
erler
baari
begle
siß.
ri gr
berd
ger
let